



LVssa ille honestis parentibus in celebri Hel-
 uetiorum pago Vnderualdensi natus est,
 anno Domini circiter 1520. Is cum felici ingenio
 esset præditus, à pueris operã literis dedit, atq; ar-
 tium & linguarum mediocrem sibi notitiam com-
 parauit. Postea sese ad exterarum nationes, præser-
 tim in Galliam & Italiam contulit, atq; hinc inde
 magnum rerũ usum acquisiuit. quin etiam armo-
 rum studia secutus, insignem rei militaris peritiã
 nactus est. Hinc etiam factũ ut eques auratus cõ-
 stitutus fuerit. Hanc eius prudẽtiam cum Vnder-
 ualdenses intellexissent, eum primò in senatum le-
 gerunt, atq; hinc inde patriæ nomine res magnas
 expediendas commiserunt. Eas cum singulari industria perfecisset, communi-
 bus suffragiis Consul (quem Amannum uocant) eligitur. Hanc functionẽ do-
 minus Lussa moderato animo suscepit, atq; ea æquitate & morum grauitate
 administrait, ut uicinis etiã Heluetiis gratissimus esset. Itaq; factum ut hi pa-
 gi, qui Catholici nuncupantur, hunc Amannum publico nomine cum quibus-
 dam suæ ditionis abbatibus, anno 1561 legatum ad Tridentinum Conciliũ de-
 stinarint, atq; optima quæq; de sua gente Patribus polliceri iusserint. Id quod
 ille haud grauatim præstitit, atq; Tridenti in magna æstimatione fuit. Postea
 uerò domum reuersus ad commissa officia rediit, atq; suis uirtutibus patriam
 exornauit. Vbi etiamnum superstes existens ab omnibus amatur & suspici-
 tur. Anon.